



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sanctimoniali, cuius tibiam laesam sancta Maria in visione perunxit &
sanauit, cap. 49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

ceps stabilis in congregatione maneret, & omnia carnis commoda tanquam stercorea reputaret. Electuariū istud gratia deuotionis intelligitur, cuius virtute pfallentes confortantur, cuius dulcedine labor vigiliarum vertitur in delicias: huius species aromaticæ sunt, memoria compunctiua dominicæ conceptionis, natiuitatis, & reliquorum sacramentorum Christi, quæ omnia melliflua spe futuræ retributionis conduntur, & meritis beatæ Virginis pfallentibus infunduntur. *APOLLONIVS*: Placet quod dicis. *CAESARIUS*:

Cæt. 1. 4

Quod apud beatam genitricem Dei vnguenta sint sanatiua, testatur sponsus in Canticis, dicens: Meliora sunt vbera tua vino; odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Et in alio loco in persona illius, Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, odorem dedi, &c. Quanta virtutis & gratiæ eadē sint vnguenta, sequens declarabit exemplum.

Eccli. 24

CAPVT XLIX.

Contigit ante annos paucos in quodam cenobio sanctimonialium ordinis nostri, satis mihi noto, res valde delectabilis: est ibi quædam foror, & ipsa mihi nota, vitæ probabilis, multumque feruens in obsequio beatæ virginis; hæc cum in genuflexione, nimio impellente feruore, tempore quodam genu vel tibiam vulnerasset, atque meridie in infirmatorio dormiret, visa est in somnis ei astare beata Virgo Maria, pixidem vnguenti portans in manu sua, immisitq; digitis, de eodem vnguento perunxit vulneratam tibiam virginis: statim tanta fragrantia adfuit, vt sorores in proximo dormientes, odore illius excitatæ surgerent, & ad lectum eius venientes, eo q̄ maior sibi sentiretur virtus odoris, dormientem excitarent. Cui cum signassent quis, vel vnde esset odor tantus, illa causa non ignara, immo per eadē signa iā de veritate visionis certior effecta, nihil illis dicere vel signare voluit, tantum inuens, vt irent dormitum. Quæ cum sursum obdormiuisset, iterum affuit mater Domini, secum illam per visionem ducens in pomarium, cui manum sub mento ponens, dixit:

Modò

Modò dimitte te super genua tua: quod cùm fecisset, Domina nostra subjunxit: De cætero sic modestè & disciplinatè debes petere veniam, instruens illam, & adjecit: Singulis diebus sequentiam, Ave Dei genitrix, mihi ad honorem dicere debes, & ad singulos versus veniam petere; multum enim in ea delector: Sæctimonialis verò euigilās, vt experiretur si esset aliquis in visione effectus, tibiam conspexit, quàm non sine multa admiratione sanatâ inuenit. APOLLONIVS: Quantum ex hac visione conjicio, minùs placet beata Virgini in orationibus feruor indiscretus, & in genu flexionibus motus indisciplinatus. CÆSARIVS: Nō contradico, vt enim de persona beatæ Dei genitricis taceam, nomen eius non tam sententijs, quàm viuus exemplis dulce super mel ostendam.

CAPVT L.

IVxta ecclesiam sancti Seuerini in Colonia, inclusus quidam habitabat Marsilius nomine, in Tuscìa ad sanctum Sebastianum quandoque Episcopus, & tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum & Paschalem, ab ipso Alexandro depositus: hūc cùm matronæ ciuitatis frequentarent, & vna ei cōfessa fuisset, quòd dominæ nostræ nomen dicere non posset sine quadam mira dulcedine, de causa tantæ gratiæ requisita respondit: Singulis diebus in honore eius quinquaginta Ave Maria, cùm totidem veniis dicere consueui, per quæ tantam dulcedinem merui, vt omnis oris mei saliuæ orationis tempore in mel videatur conuersa. Quod cùm audisset iam dictus inclusus, exemplo deuotæ feminae, vix per sex hebdomadas Angelicam salutationem præfato modo & numero compleuerat, & ecce tantam dulcedinem sentire cœpit in illius dulcissimæ salutationis prolatione in ore & gutture, vt mellis dulcedinem longè transcenderet ipsa dulcedo. Eandem dulcedinem meruit de ordine nostro quidam monachus, exēplo illius prouocatus. Hæc mihi relata sunt ab eodem incluso. Ecce his tribus exēplis satis ostensum est, nomen eius esse super mel dulce, & q̄ hæreditas eius

*B. Mariæ
nomen
dulcissi-
mum es-
se.*